pro alius quando corpus eius translatus est

Tunc illi obstupefacti pariter et admirantes diem et tempus notant. Cui sollicite requirentes ipsam diem temporisque repperiunt quo beatus confessor dixerat se eius exequiis deseruisse. Cum beatum virum in eius transitu sanctorum comitatur numerus angelorum exultat chorus omnisque virtutum celestium occurrit exercitus diabolus presumptione confunditur ecclesia virtute roboratur. sacerdotes revelatione glorificantur quem michahel assumpsit cum angelis maria suscepit cum virginum choris paradysus retinet letum cum sanctis. Sed quid nos in laude eius temptamus quod non sufficimus adimplere. Ipse est enim laus illius cuius laus ab eius ore numquam recessit. Verum nos utinam vel simpliciter possimus historiam explicare

opere pretium est enim etiam illud inserere lectioni qualiter sanctum eius corpusculum in loco ubi nunc adoratur fuerit angelo annuente translatum. Anno sexagesimo quarto post transitum gloriosi domini martini beatus perpetuus turonice sedis cathedram sortitus est dignitatis. Adeptusque huius apice cum magno devotionis consensu fundamenta templi ampliora quam fuerat super beata membra locare disposuit. Quod sagaci insistens studiis mirifice mancipavit effectui. De qua fabrica multum quod loqueremur erat. Sed quia presens est conticere exinde melius putavimus. Adveniente ergo optato tempore sacerdoti ut templum dedicaret et sanctum corpusculum a loco ubi sepultum fuerat transferret convocavit beatus perpetuus ad diem festum vicinos pontifices sed et abbatum ac diversorum clericorum non minimam multitudinem. Et quia hoc in kalendis iuliis agere